

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA
DE
FORMVLA CONSENSVS
LVBECENSI
PRO CONSERVANDA PVRIORI
EVANGELII DOCTRINA

A
REVERENDO MINISTERIO A. clōclx. CONDITA
ET SVBSIGNATA

QVAM
SVB PRAESIDIO
IACOBI WILHELMI
FEVERLINI

S. THEOL. D. ET PROFESS. PVBL. PRIMARI CONSILIAR.
CONSISTOR. ET SVPERINT. GENERALIS
PRAECEPTORIS AD CINERES DEMISSE VENERANDI
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVB IICIT
IOHANNES HERMANNVS GERCKEN
LVBECENSIS.

A. D. XV. MARTII A. clōclv.

GOTTINGAE
EX PRELO PAVL. CHRISTOPH. HAGERI.

Coll. diss. A
33, 42

15.

a. XXXIII. 42.

VIRO

EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO

AMPLISSIMO

DANIELI HAECKSIO

M. V. DOCTORI CELEBERRIMO REIPUBLICAE LVBEGENSIS

SENATORI MERITIS IMMORTALIBVS

CONSPICVO

ET VIRO

NOBILISSIMO SPECTATISSIMO

FRANCISCO BERNHARDO

RODDE

NEGOTIATORI APVD LVBECENSES

FLORENTISSIMO

ILLVSTRIS STIPENDII SCHABBELIANI

ADMINISTRATORIBVS PRVDENTISSIMIS

HOC

STVDIORVM QVALECVNQVE SPECIMEN

GRATAE MENTIS

AC DEBITAE OBSERVANTIAE TESTEM

SVBMISSE

D. D. D.

SIMVL

PRO PERPETVA IPSORVM SALVTE

FELICISSIMOQVE RERVM OMNIVM SVCESSV


ARDENTISSIMA VOTA

FVNDIT

TANTORVM NOMINVM


CVLTOR STVDIOSISSIMVS

IOHANNES HERMANNVS GERCKEN.




§. I.

EXHIBETUR FORMVLA CONSENSVS
LVBECENSIS.

criptum, de quo vberius paulo differere in
animo est, sequenti insignitur, vti in *Actis*
Ministerii Lubecens. Tom. III. f. 69. legitur, ti-
tulo : „VALENTINI CVRTII Formula consensus de do-
„ctrina Euangelii, & administratione sacramentorum, quam
„omnes praedicatores verbi Diuini in Ecclesia Lubecensi
„receperunt, simulque eandem suis subiectis chirographis
„religiose seruaturos sunt testificati.” Totam ex fonte, mo-
do indicato, haustam nobis exhibuit B. CASP. HEINR.
STARCKE in der *Lubeckischen Kirchen-Historie* p. 196. sq. Quo
in recensendo opere COLERVS dignam hanc existimauit
Formulam, quam infereret Diario suo *Theologico*, cui titulus
est: *Auserlesene Theologische Bibliothec* vol. I. p. 761. sq. omissa tamen,

A


quam



quam in **STARCKIO** reperimus, clausula. Id quod commouet nos, totam, vti est, lectoribus ante oculos iterum ponere scriptionem, quae verbis continetur sequentibus:

„Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus altero die
 „ascensurus aram crucis in redemptionem generis humani, vt
 „summus pontifex noster orauit dicens: Pater sanctifica eos in
 „veritate, sermo tuus est veritas: Et fac, vt omnes ipsi in
 „nobis vnum sint, sicut nos vnum sumus. Haec oratio
 „non est inefficax apud Deum propter assiduam interpella-
 „tionem Archipastoris nostri Domini Iesu Christi, qua hor-
 „tatur ecclesiam ad alendam concordiam, quae fouetur con-
 „sensu doctrinae, & propagatione Euangelii, ac eiusdem
 „defensione contra aduersarios, quo colligatur ipsi ecclesia,
 „quae hic & in futura vita Deum Patrem, & Filium, & Spi-
 „ritum S. perpetuo celebret. Danda itaque omnibus Euan-
 „gelii Christi ministris est opera, vt hunc consensum obuiis
 „vlnis amplectantur, & foueant ad Dei gloriam, & publi-
 „cam ecclesiae Dei salutem, quam ipse sanguine suo acqui-
 „siuit. Concordia autem ecclesiae nulla ratione magis con-
 „seruari videtur, quam vt in certam doctrinae formam con-
 „sentiant, eamque amplectantur, & mutua opera fideliter
 „tueantur. Haec autem est in scriptis Prophetis, & Apo-
 „stolicis comprehensa, quam exosculari, amplecti, & tue-
 „ri, omnes synceros & fideles ministros Christi decet. Et
 „ne quis fanaticorum hominum more, quales plurimi in
 „ecclesia semper ab initio extiterunt, iuxta caecum naturae
 „cuiusque iudicium quamlibet addat interpretationem, &
 „pro suae sententiae probatione inconcinne ad se rapiat, sum-
 „ma

„ma doctrinae Propheticae & Apostolicae capita (addito ve-
„ro intellectu iuxta genuinam scripturae collationem) no-
„bis praescripta sunt in tribus symbolis, quae semper eccle-
„sia recipit, & postea in Augustana Confessione, eiusdem-
„que Confessionis Apologia, & Smalcaldicis Articulis ex-
„plicantur, vt ad illam formam doctrinae sermone loquen-
„di, & rituum ecclesiasticorum obseruatione quisque pius
„minister Christi in hac ecclesia sese tanquam ad cynosurae
„ductum dirigat, & doctrinae suae forum instituat, quo
„hac regula pie obseruata omnes pie & pacifice consensum
„doctrinae retineant, & tueantur. Cum igitur ecclesia Lu-
„becensis purioris doctrinae amans & cupida tuendi con-
„sensus a me N. rite & optimo consilio postulauit ardens
„studium talis pii consensus tuendi & propagandi, polli-
„ceor coram Domino Deo, Archipastore nostro, Domino
„Iesu Christo, & Spiritu Sancto, ecclesiae rectore, & prae-
„sentibus Reuerendis Dominis, Superintendente, Dominis
„Pastoribus, me amplecti tria symbola semper ab ecclesia
„recepta, quae explicant summatim Prophetarum, Christi,
„& Apostolorum doctrinam, atque scripturam, cuius sum-
„ma & interpretatio in Augustana Confessione, addita ipsi-
„us Apologia, simul cum Smalcaldicis Articulis est prae-
„scripta. Ad haec promitto me recipere quoque consen-
„sum doctrinae & confessionem, quam ecclesiae harum ci-
„uitatum contra libellum Interimisticum, & Adiaphoristi-
„cas fraudes, & Maioris corruptelas de necessitate operum
„ad salutem ediderunt. Postremo ecclesiasticos ritus, quos
„pios & verbo Dei congruentes in hac Lubecensi ecclesia,
„disci-



„disciplinae, & boni ordinis causa haectenus receptos, iuxta
 „Pomerani, siue huius vrbis ordinationem, animaduerto,
 „amplector, & probo. Et contrariam doctrinam Papista-
 „rum, Osiandri, Suenckfeldii, Anabaptistarum, Sacramen-
 „tariorum, Interimistarum, Maiorismi, Adiaphoristarum,
 „Caluini, Mennonis, Zwinglii, & Thammeri, & horum
 „satellitum, detestor, atque reiicio, simulque recipio coram
 „Deo, & conscientia mea, me Dei beneficio permanfurum
 „in supra explicata purioris doctrinae forma, & eius con-
 „fessionibus ab his ecclesiis editis, quas vna cum aliis eccle-
 „siae Doctõribus atque ministris, Dei beneficio atque auxi-
 „lio, contra aduersarios sincere & fideliter defendam, quo
 „bona conscientia Domino Iesu Christo Archipastori nostro
 „in illa die, qua reuelaturus est cordium occulta, ratio-
 „nem reddere dati ponderis possim. Oro autem Deum Pa-
 „trem in nomine Filii sui, Domini nostri Iesu Christi, vt
 „hanc voluntatem meam pie ecclesiae Dei inseruiendi regat,
 „& suo sancto Spiritu me illuminet, vt sim vas gratiae, &
 „organum misericordiae, quo ipsi per me vtilia & grata in
 „commisso munere fiant, ipseque faciat, vt labor meus non
 „sit inanis, propter Dominum nostrum Iesum Christum, ad
 „colligendam ipsi ecclesiam in genere humano, quae ipsum
 „agnoscat, & perpetuo celebret, Amen. Data Lubecae ex
 „nostro Conuentu, anno a reparata salute 1560. vltima Fe-
 „bruarii. Aequum & conueniens est, quod nos Superin-
 „tendens, & Pastores ab aliis dilectis nostris fratribus &
 „Comministris iuxta superius praescriptam concordiae for-
 „mulam fieri postulauimus, vt idem nos quoque animo,
 „voce,



„voce, & scripto approbemus. Quapropter, sicuti postu-
„latum est, non detrectamus nostra quoque suffragia & cal-
„culos huic formulae, quam ex animo recepimus, subii-
„cere, quod ordine nostris chirographis attestamur;

„Valentinus Curtius.

„Petrus Christian. Vrymersheim.

„Reimarus Cock.

„Georgius Bart.

„Dionysius Schönemannus.

„Henricus Albers.

„Reinerus Averenck.

„Iohannes Fine.

„Hinricus Rolck.

„Bartholdus Bade.

„Iohannes Coch.

„Ioachimus Holtmann, &c. &c.

§. II.

DE VOCE FORMVLAE CONSENSVS.

Paucula quaedam differendi occasionem de voce *For-
mulae Consensus* praebet B. STARCKIVS *l. c. p. 154.* qui no-
stram, de qua loquimur, probe discernere iubet a Formu-
la Concordiae Sueuica. Periculum, quod veretur, confu-
sionis non tam magnum est, quum scilicet inter Formu-
lam Consensus & Concordiae differentia iam qualiscunque
intercedit; maiorem potius in modum appropinquare,
quoad denominationem, *Lubecensi* videatur, Formula Con-


sensus *Heluetica*, tollendis praesertim quibusdam ecclesiae reformatae controuersis intestinis destinata; de qua egit in *Schediasm. Theol.* Celeberrimus Academiae Tubingensis Cancellarius CHRISTO. MATTH. PFAFFIVS. Exigui tamen momenti discrimen inter Consensum esse & Concordiam fatemur, adeoque ad amplificandam STARCKII monitionem notari meretur, varia insuper tum in nostra Ecclesia, tum in Reformatorum, extare scripta theologica, quae nomine insigniuntur Formularum Concordiae.

Habemus, quoad nostram Ecclesiam I) *Formulam Concordiae Wittebergensis*, A. 1536. in lucem prolatam, inter Theologos Germaniae superioris, & Lutherum aliosque Wittebergenses Theologos, qua illi se a doctrina Zwingliana, & illius suspicione, liberantes, omnibus absolutum numeris cum LUTHERO, eiusdemque aedecis, consensum declarant. *vid. CONR. DIETERICI Diff. de Formula Concordiae Witteb. 1536*, Praefide IOH. WINCKELMANNO, *Gieffae 1614.* habita; it. CHRISTI. AVG. SALIGII *Historie der Augsp. Confess. P. 1. p. 420. sqq.* Legitur haec Formula Concordiae tanquam scriptum symbolicum in paruulo quodam Corpore Doctrinae Hassiaco, quod descripsit Fautor ac Praeceptor pia mente colendus, Vir summe reuerendus atque Celeberrimus IAC. WILH. FEVERLINVS in *Bibl. Symbol. p. 13. sq.* Habemus II) *Formulam Concordiae*, in *Colloquio Wormatiensi* A. 1557. confectam, quae integra legitur in MELANCHTHONIS *Operib. P. IV. Witteb. 1564. p. 807. sqq.* hunc in finem ab eo conscriptam, vt dissidia inter Nostrates componerentur, tantum quamuis abfuerit, vt ad exoptatam feliciter
metam

metam pertingeret, vt potius adaugeret controuerfias, clariusque mundo ob oculos poneret; de qua formula & toto Colloquio peroptime differit SALIGIVS *l. c. P. III. p. 290. sqq.* Habemus III) quam STARCKIVS *Formulam* appellat *Concordiae Sueuicam*, nullam fine dubio aliam intelligens, quam *Formulam Concordiae inter Sueuicas & Saxonicas ecclesias*, quam exhibet celeb. PFAFFIVS in *Actis & Scriptis publ. ecclesiae Wirtemberg. p. 381. sqq.* Qua ex Formula IV) Formula Concordiae *Maulbrunnensis*; porro V) Formula Concordiae *Torgensis*, cui vero libri Torgensis nomen frequentius imponitur, & denique VI) Formula Concordiae *Bergensis*, quam Formulam Concordiae sensu quidem strictiori nominamus, originem duxere. De quibus postremis Formulis legi merentur Viri summe reuerendi IOH. GE. WALCHIVS in *Introd. in Libr. Symb. p. 713. sqq.* & IAC. HENR. de BALTHASAR in *der Hist. des Torgischen Buchs; im Vorbericht v. 5. sqq.*

Inter Scripta Reformatorum theologica, occasione controuerfiarum Remonstrantium in Belgio, publicabatur Formula aliqua Concordiae, cuius indicium est liber, qui inscribitur: „Christiana ac modesta Declaratio eorum, quae „in Formula quadam Concordiae, edita titulo Illust. ac Prae- „potentium Ord. Decreti, cum verbo Dei, & doctrina ha- „Etenus in Ecclesiis Belgicis recepta consentiunt, vel ab iis- „dem dissentiunt” *A. 1615. 4.* loci nulla facta mentione, in vulgus editus; cuius auctorem esse IAC. TRIGLANDVM argumentis confirmavit summe reuerend. Doct̃or KOECHERVS in *Bibliotheca Symbol. p. 494. sqq.*

§. III.



§. III.

NVM FORMVLA CONSENSVS LVB. SIT
LIBER SYMBOLICVS?

Ad rem ipsam quod attinet, primum oritur quaestio, an pro libro, vel libello aliquo symbolico Formula nostra habenda sit? Aientium partes tuetur celeberrimus BAVMGARTEN, in *Anhang zu den Erleuterungen der Symbol. Bücher* pag. 306. inter libros symbolicos eandem referens particulares. Quam quidem sententiam comprobare maxime videtur Subscriptio, Formulae huic adiecta; quae subsignantium sibi coniunctam habet obstrictionem, sese scilicet in sacro, quod offertur, munere nihil vnquam, hisce promissionibus contrarium, esse docturos: id quod character quasi est, qui scripta symbolica ab omnibus omnino aliis discernat. Prouoco ad Venerandi Praesidis *Theologiam Symbol.* (cuius primae tantum septem plagulae ante vndecim annos impressae sunt) *Prol. C. 1. §. 16. & 17.* Verum enim vero dum rem penitius consideramus, apparet, solam subscriptionem non vnice librum efficere symbolicum. Requiritur etiam, vt dogmata quaedam determinantur, certae veritates amplectendae proponantur, earundemque oppositi reiiciendi errores indicentur; teste iterum Celeb. D. FEVERLINO *l. c. §. 1.* Iam vero quum hae praecipui momenti res desint in Formula Lubecensi, symbolici libri denominationem eadem quam minimè competere, clarum est. Quia tamen Errantes quidam, e. gr. Osiander, Suenkfeldius, Calvinus, Thammerus, hic nominantur, idque nihil aliud sibi velle vide-

videtur, quam ut ipsorum errores, tacite saltem refutati, improbentur; scriptum nostrum, quasi medium inter librum symbolicum, & nudam esse formulam subscriptionis, arbitror. Quaeras forsan, cur subscriptio tam hic ampla sit & tam proluxa, ut vel Augustanae Confessionis, Apologiae, & Smalcaldicorum articulorum, tanquam scriptorum symbolicorum, expresse fiat mentio, quum alias formulae subsignationis concinnae soleant esse atque insigniter breues? In promptu est responsio: describitur scilicet hic Corpus doctrinae aliquod Lubecense in idea, qualia Corpora non esse inusitata, comprobatum est in *Diss. de Corpore doctrinae in idea Hobenloico*, sub praesidio summi FEVERLINI habita. Quod attinet ad subscriptiones in genere, iamiam praeiuerunt Lubecensibus alii, teste ALB. ZVM FELDE in *Schediasm. de subsignationib. professionum fidei. Kilon. 1719. 4.* Ita senserunt in Ecclesia veteri & primitiua Patres: ita, post repurgatam a sordibus papalibus doctrinam Theologi Smalcaldiae congregati, qui non articulis modo Smalcaldicis, sed etiam tribus symbolis oecumenicis, August. Confessionis & Apologiae, Concordiaeque Witteb. 1536. chirographa apposuerunt; quin imo ante articulos Smalcaldicos A. 1533. a LUTHERO & BVGENHAGIO ineuntes verbi diuini ministros fuisse adactos, ut affirmarent, se amplecti incorruptam Evangelii doctrinam, & eam sic intelligere, ut in symbolis, Apostolico, Nicaeno & Athanasiano, commemoratur, & ut in Confessione recitatur, atque promittant, in hac sententia Deo iuuante constanter se esse perseveraturos, edocent verba MELANCHTHONIS in *Oratione, in qua refutatur calumnia Osiandri, illorum reprehenden-*



tis promissionem, quibus tribuitur testimonium doctrinae. Ex-
tat Oratio in PHIL. MELANCHTHONIS *Declamationum,*
a IOH. RICHARDO collectarum, Tom. III. qui *theologi-*
cus inscribitur, p. 565. *seqq.*

§. IV.

QVOD PRAECIPVVS FORMVLAE AVCTOR SIT SENATVS.

Inter auctores formulae, de qua sermo est, referendi primo loco veniunt Patres Reipublicae Lubecensis Conscripti. Mirandum quidem est, singularem, quam illustri Senatus hoc in scripto curam conficiendo gesserit, neque in ipsa Formula, vberiori alias & copiosa, neque in enarratione Starckiana, laudatam posterisque de meliori fuisse commen- datam. Videretur facile, Magistratus controuersias hasce neglexisse; praesertim quum ex vltimo Aug. Conf. articulo compareat, Principes & Magistratus iura tum temporis sua circa sacra nondum satis habuisse perspecta; testimonio sint verba sequentia: „Si quam habent (de Episcopis ser- mo) „vel potestatem, vel iurisdictionem in cognoscendis „certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum cet- „hanc habent humano iure, vbi cessantibus ordinariis co- „guntur Principes vel inuiti suis subditis ius dicere, vt pax „retineatur.„ Verum quod ad sacram Lubecae repurga- tam attinet Euangelii doctrinam, nemo unquam inficias ire potest, Magistratum officia pariter ac iura sua probe ad- modum intellexisse, intelligentemque rite ista fortiterque peregrisse. Rem exemplis probabo. Iussu amplissimi Se-
natus

natus nonnulli sacerdotes, qui propter doctrinam, quam publice profitebantur, Lutheranam, egredi vrbe iussi erant, post annos aliquot revocati, Concionatores iterum Evangelici constituebantur; testibus VITO LVD OV. von SECKENDORFF *in der Historie des Lutherthums. Leipz. 1714. p. 1160.* & STARCKIO *l. c. p. 6. 59.* Salutare IOH. BVGENHAGII de Praesule ecclesiarum Lubecensium eligendo consilium Senatus approbans, muneri huic tam graui, quam honorifico, praeficiebat Virum immortaliter quondam de ecclesia nostra meritum HERM. BONNUM. Post haec, vt exortam salutarem Evangelii lucem contra Anabaptismum, Sacramentariorum, Papistarum, aliorumque insultus, conseruaret atque tueretur Magistratus sapientissimus, laudatum modo Bonnum ad Hamburgensem conuentum ablegauit, eo fine, vt consilia cum ceteris Theologis iniret de hostibus hisce supprimendis pariter ac pervincendis. Inter complures, qui syncretisticum librum *Interim* sibi obtrudi nolebant, Euangelicos haud ultimum occupant locum Lubecenses, quorum magnificus Senatus omni sese, qua fieri poterat, ratione opponebat. De his omnibus agit STARCKIUS *l. c. pag. 22. 37. 97. sqq.* Facile reliquis in medium proferendis vigilantiae Magistratus circa rem sacram speciminibus supersedeo, & ex hisce, modo indicatis, copiose, arbitror, elucescere, etiam Formulam Consensus non sine istius auctoritate conditam esse. Quod vero non expressis verbis amplissimi Senatus hic mentio facta fuerit, rationes forsan politicae prohibuere; maximo interim probabilitatis gradu statuimus totam, Patribus Conscriptis non modo consciis, sed & approbantibus, For-



mulam conscriptam. Variis hoc e speciminibus constat; Primum ex eo, quod elegerint arbitros, qui in dissensiones, in Formula recitatas, inquirerent, easdemque pro viribus tollerent. Deinde quum ex fine formulae pateat, Ministerium Lubecense futuris tantum ecclesiarum ministris ipsam destinasse, *postulatum* autem a praesentibus ministris esse, ut ipsi subscriberent, postulantiem illum neminem alium, nisi Magistratum fuisse, colligo. Accedit tandem, quod ad hanc in posterum Magistratus Formulam provocavit; quod factum est, quum in Cancellaria, praesentibus Senatoribus, IAC. ANDREAE ista praelegeretur, qui & calculum adiciebat, itemque quum, eodem ANDREAE ad amplectendum Concordiae librum praeliminariter quasi adhortante A. 1569. in Formula sua permanere sese malle, quam novas insuper addere confessiones fidei, responderent; de quo STARCKIUS l. c. p. 154. § 259. sq.

§. V.

DEINDE REVEREND. MINISTERIVM.

Ab amplissimo Senatu, Formulae Consensus auctore praecipuo, quanquam remotiori, ad propiorem, reuer. Ministerium Lubecense, progredimur. Et hac quidem occasione non sunt praetermittenda magna illa, quibus hoc ministerium eminet, merita. Non solum enim diuersis temporibus cum aliis, cum quinque, tribus, & duobus praesertim, laudabiliter coniunctum ministeriis, sed & seorsim, de omni Ecclesia Euangelica, & in primis Lubecensi, haud vulgarem sibi per egregia scripta, religionis
Lu-

Lutheranae causa stabiliendae confecta, parauit gloriam, cuius eo magis memoria recoletur, quo sanctior est & grauior, de qua meriti sunt, purioris Euangelii doctrina. Incipiam a Ministerio Hexapolitano, cuius sub nomine intelligimus verbi tum temporis diuini Ministros in ciuitatibus *Lubecensi, Hamburgensi, Bremensi, Stralsundensi, Luneburgensi, & Rostochiensi*; qui coniunctis sese viribus opposuere Anabaptistis, Sacramentariis, aliisque sectariis, in *Decreto* contra eosdem, *Hamb. A. 1535.* Idiom. Saxon. edito; de quo agunt I. O. H. MOLLERVS in *Isagoge ad Historiam Chersonesi Cimbr. P. IV. p. 463.* & STARCKIUS l. c. p. 39. sq. Pariratione inclaruit Presbyterium Tetrapolitanum, puta *Lubecense, Hamburgense, Luneburgense, & Magdeburgense*, cui praesertim res erat cum G. E. MAIORE, qui bona opera prorsus habebat ad salutem aeternam necessaria. Eiusdem refellendi ergo conscribatur *Sententia de doctrina necessitatis bonorum operum ad salutem*; quod scriptum *Magdeb. A. 1553.* prodiit cum hac inscriptione: *Sententia Ministrorum Christi in Ecclesia Lub. Hamb. Luneb. & Magdeb. de Corruptelis doctrinae Iustificationis, quibus D. Ge. Maior asserit, bona opera esse necessaria ad salutem.* Legitur etiam in NIC. STAPHORSTII *Hamburgischer Kirchen. Geschichte P. II. Vol. I. in den Bekäntnissen der Kirchen zu Hamburg p. 207. sqq.* Elogia libri, & quanto ab aliis in pretio fuerit habitus, enarrant MOLLERVS & STARCKIUS l. c. p. 467. & 115. sq.

Insignibus praecipue meritis in rem christianam exsplendescit Presbyterium Tripolitanum, a ciuitatibus *Lubeca, Hamburgo, & Luneburgo*, ita denominatum. Et pri-

mo quidem calculum negabant libro *Interim*, qui, iussu *Caroli V.* per IVL. PFLVGIVM, MICH. SIDONIVM, & IOH. AGRICOLAM, in fauorem maximam partem Romano-Catholicorum confectus, Senatui Hamburgensi transmittabatur. Tantum vero aberat, vt eorundem a partibus starent, vt causas potius improbationis exponerent in scripto: *Bekanntnuß und Erklärung auff's Interim, dörch der Erbaren Stede, Lubeck Hamburg und Luneburg &c. Superintendenten, Pastoren und Predigere, to Christlicker und Nödiger Unterrichtinge gestellt; Hamb. 1548. & Magd. 1549. edito.* Non minori veritatis amore commoti iidem hi dogmatum diuinorum ministri cum illis, qui *Illuminatorum* sibi *Theosophorumque* nomen imponebant, Fanaticis in arenam descendebant, eorundem opiniones & errorem improbant in libro, qui inscribitur: *des Ministerii zu Lubeck, Hamburg und Luneburg Bericht von den neuen Propheten &c. Lubecae A. 1634. publicato; vid. MOLLERVS l. c. p. 464. sqq & STARCKIVS l. c. p. 100. & 804. sq.* Addam adhuc vnicum Ministerii scriptum, in quo per SAM. POMARIUM respondetur HENR. AMMERSBACHIO, ELIAM PRAETORIVM (i. e. CHRISTI. HOBVRGIUM) defendenti, simulque AEG. GVTMANNI *Maiestatis diuinae Reuelatio* in examen vocatur; teste MOLLERO l. c. p. 471. sq. Quod ab eodem MOLLERO ad Ministerii Tripolitani scripta etiam referatur *de Iustificatione Censura aduersus Andr. Ostiandrum*, ὡς ἐν προοῳ monemus, & STARCKIVM omnino sequimur, argumentis l. c. p. 131. sq. affirmantem, sola ministeriorum Hamburgensis & Luneburgensis opera hanc Censuram esse contextam, quae & ipsa, nullam Lubecensis mentionem faciens,

faciens, *Magd. 1553. per Mich. Lottberum impressa*, ad manum est. Sufficiant haec pro laudibus, quae in Ministerium Lubecense, cum aliis associatum, redundant: breuiter nunc percensebo scripta, quibus seorsim illud claruit; & potiora nominasse, fatis erit. Primum tribuo locum *Confessionis*, in qua contra Zwinglianos & Calvinum asseritur, Corpus & sanguinem Domini nostri I. C. vere praesentialiter & substantialiter in S. C. adesse, A. 1556. scriptae, & A. 1557. *Confessionib. fidei de Euchar. Sacram. Ecclesiar. Saxon.* a IOACH. WESTPHALO insertae. Quod ad Concilium Tridentinum spectat, habemus contra illud *Protestationem*, qua, CVR TIO interprete, Ministerium declarat, hoc Papae conuenticulum, maxime iniustum ac illegitimum, non mereri nomen liberi, ad quod ordo Christianorum prouocet, concilii. Quam Protestationem, a STARCKIO l. c. ap. 203. ad p. 243. exhibitam, excipiat *Consideratio Theol. Interpositionis seu Transactionis Pacificatoriae inter Lutheran. & Reform. a Ioh. Duraeo tentatae Wittemb. A. 1677.* cum praef. Pomarii edita; quod scriptum nomine Ministerii Nic. HVNNIV sexarauit. Porro A. 1669. prodibat contra Fanaticos, in administratione Sacramenti Eucharistiae vehementer aberrantes, *Christl. Probe der neuen Schwärmerey &c.* cuius libri auctor est HANNEKENIUS, qui consensu & nomine Collegarum scripsit. Ad haec idem, ceteris approbantibus, confecit *Theologisches Bedencken, ob Lübeck des Commercii wegen frembde Religions-Verwandte in die Stadt nehmen dürfen. Lub. 1670*; de quibus vberius agunt MOLLERVS l. c. p. 459. sqq. & STARCKIUS l. c. p. 135. & 167. sq. Breuitatis studio mittenda sunt cetera, quae in honorem Presbyterii



byterii, tum Tripolitani, tum Lubecensis, adhuc dici possent.

§. VI.

PRAECIPVE SVPERINT. VAL. CVRTIVS.

Venimus nunc ad eum, qui Formulae Consensus auctor specialissimo sensu nominandus est. Et hunc honorem sibi vindicat VAL. CVRTIVS, Sacrorum, dum vivebat, Lubecensium Antistes, cuius biographiae potiora momenta paucis recensenda videntur. In lucem editus est Lebusiae, Marchiae Brandenburgicae oppido, A. 1493. patre tonsore, qui, de erroribus Pontificiorum postmodum convictus, puriorem Ecclesiae nostrae doctrinam amplexus est. Studiis primae iuventutis pro temporum ratione imbutus Curtius in Academiam sese conferebat Rostochiensem, vbi, nondum satis monachorum intelligens abominations & vitae genus quam superstitiosissimum, ordini accedebat Franciscanorum, & coeco religionis zelo commotus, ceterorum instar fratrum suorum, Romanae sedis dogmata viriliter tuebatur, adeo, vt munus illi *Lectoris* committeretur. At vero quum dein per IOACH. in primis SLVTERVM salutaris & vera Euangelii doctrina in vrbe Rostochiensi magis semper magisque effloruisset, etiam Curtius a se non poterat impetrare, quin, vita monastica abdica-
ta, in Euangelicorum castra transfret. Laeti profelytum accipiebant ciues Euangelici Rostochienses, quorum apud Senatum precibus res eo perducebatur, vt ad aedem Spiritus S. Pastor denominaretur, quo munere quum per annos
ali-

aliquot laudabiliter functus esset, dignum Senatus eum censebat, qui Templi ibi Mariani Antistitis honores capesseret. Per insignia ipsius merita, & indefessus genuinam Seruatoris O. M. doctrinam propagandi zelus, efficiebant, vt A. 1534. Lubecam accerferetur, vbi primum Ecclesiastes ad S. Petri, dein A. 1545. Pastor, & tandem Superintendens Lubecensis A. 1553. constituebatur. Diuersis, religionis causa institutis, conuentibus intererat Noster. Primum Conuentui *Brunsuicensi* A. 1557. qui pro fine id praesertim habebat, vt controuersia inter MELANCHTHONEM & FLACIUM Adiaphoristica componeretur; deinde conuentui *Brunsuicensi* A. 1561. cuius ansam praebuerat ALB. HARDENBERGIUS, Parochus Bremensis, qui Calvinismo sese fauere non celabat; tandem conuentui *Luneburgensi* A. 1561. in quo articuli quidam, qui postea *Corpori doctrinae ciuitatis Brunsuicensis* inserti sunt, Erroribus, Osiandristico, Maioristico, Sacramentario, Adiaphoristico & Synergistico, oppositi, subsignabantur. Num vel in conuentu, (quod asserit IOH. MOLLERVS in *Cimbr. liter. P. II. p. 160.*) Mollenae A. 1567. concordiae, qua ciuitates Lubeca, Hamburgum, & Luneburgum iunctae adhuc in doctrina fuerant, iterum confirmandae causa, habito, praesens Curtius noster fuerit, non tam certum est, quum, teste STARCKIO *l. c. p. 172.* senectute impeditus illo tempore domi sese continuerit. Et hoc eodem anno Vir optimus ex vita migravit, post funera viuens in scriptis, ad quae referuntur: *α) Ministerii Lubec. Epistola responsoria ad Flacium & Galium, de sententia Ge. Maioris, B. O. ad salutem esse necessaria,*

C

A.



A. 1553. scripta, quae exhibetur in CONR. SCHLVSSELBVRGII *Catal. Haereticor. L. VII. p. 626. sqq. Francof. A. 1599. in 3. edito.* β) *Ministerii Lubec. Responsum in causa Andr. Osiandri, A. 1555.* γ) *Ministerii Lubec. Confessio de S. Coena. A. 1556. scripta, a WESTPHALO Ministrorum de S. Coena Confessionibus, Magd. A. 1557. in lucem editis, inserta.* δ) *Formula Consensus (de qua praesens agit Disputatio) A. 1560. exarata.* ε) *Ministerii Lubec. responsum in causa Munchhusiana, quod producit STARCKIVS l. c. p. 204. sqq.* ζ) *Protestatio c. Synodum Tridentinam; A. 1561. conscripta. Vid. STARCKIVS in Vita Curtii, & MOLLERVS in Cimbr. liter. P. II. p. 160.*

§. VII.

DE IIS, QUI FORMVLAE SVBSCRIPSERVNT, AGITVR.

Ad haec breuibus dicendum erit de Theologis, qui Formulae Consensus chirographa apposuerunt, Lubecensibus. Omnium primus est VAL. CVRTIVS, de quo in §. antecedenti dictum est. Eum excipit PET. CHRISTI. FRIMERSHEIM, cuius nomen a variis varie scribitur; nonnullis audit a Brymersheim, aliis Rymerus, aliis Kimerus, aliis Pfriemersheim, s. Vrtemershemius, & *Indici Libror. prohibitorum, Innocentii XI. iussu edito & Pragae 1726. recuso, ubi primae classis Haereticorum annumeratur, dicitur Trimershemius.* Lucem, qua fruimur, aspexit circiter annum 1495. A Patria eum fuisse cognominatum *Frimersheim*, non praeter omnem probabilitatis speciem credidit b. IAC.

A MELLE, quum duplex iisdem temporibus praenomen res fuerit plane inusitata; &, quod cognomen ipsius fuerit *Christiani* ex verbis, lapidi vxoris Frimershemii sepulcrali insculptis, appareat, quae haec sunt: A. 1537. obdormiuit *Wychemod*, vxor *Petri Christiani*, hic Pastoris. Deferto papatu, Euangelium docebat ad tempus aliquod Dauentriae. Mox vero ab hoc gradu depulsus exul peregrinabatur Oldensloam. Hic Ecclesiae Oppidi permittente saepius verba faciebat pro concione, variis Lubecensium, qui, puriorem doctrinam spirantes, aceruatim eo loci confluebant, ciuibus impleta, quorum ita sibi conciliabat animos, vt priuata secum auctoritate Lubecam ducerent, vbi is erat, qui primum A. 1526. Sermonem Euangelicum recitabat in Aede Iacobaea, quod ad templum deinde A. 1530. ab Amplissimo Senatu Pastor primarius eligebatur. Num hoc in munere seditiosi, qui Anabaptistarum errores vel in urbem Lubecensem invehere studuit, *Ge. Wollenweberi* amplexatus fuerit partes, vti Ioh. quidem MOLLERVS *l. c. P. II. p. 126.* perhibet, non satis tuto credi posse videtur, propter argumenta, quae in contrarium affert STARCKIUS *l. c. p. 273. sq.* Interfuit tanquam Lubecensis ministerii Senior Conuentui Mollnensi A. 1567; de quo in §. praecedenti. Diem obiit supremum A. 1574.; relicta Homilia, quae inscribitur: *van der Heimsokinge Gades um der Nalatenheit willen, utb Luc. XIX. Hamb. 1548. 4.* Vid. DAV. CHYTRAEI *Saxonia. p. 324.* add. HERM. HAMELMANNVS in *Historia Eccles. renati Evangelii per inferiorem Saxoniam & Westphaliam, in Operibus Genealogico-histor.*



hstor. p. 978. it. STARCKIVS & MOLLERVS II. cc. Superest adhuc Lubecae in Templo S. Iacobi Epitaphium, in quo candor & vigilantia, quibus in munere sacro conspicuus fuit, iustis laudibus extolluntur.

Sequitur REIMARVS КОСК, Wismariensis, qui, quum patriam cum Lubeca mutasset, & per aliquod ibi tempus commoratus esset, primum Templi Petri Diaconus eligebatur, deinde in Pastoratus honore constitutus obiit A. 1569. Reliquit *Chronicon Lubecense*, quod a variis continuatum, *αυξοδοιον* adhuc delitescit. Conferantur STARCKIVS *l. c. p. 257. sq.* MOLLERVS *l. c. p. 429.* & Viri, insignibus de re literaria meritis conspicui, IOH. HENR. A SEELEN *Athenae Lubecenses P. IV. p. 621.*

M. GE. BARTHIVS, aliis BAERT, Osnabruga Westphalicus, iuuenis accedebat Academiam Wittebergensem, ubi inter Theologos alios LUTHERO & MELANCHTHONE Praeceptoribus utebatur. Primum fuit Scholae Hamelensis Rector, deinde Ecclesiastes in vrbe patria. Iterum Wittebergam reuersus, inde, Magistri honoribus sumtis, Lubecam venit, ubi a munere Parochi Mariani, A. 1557. ad Pastoris Aegidiani, tandemque reuer. Ministerii Senioris, honores transcendit. Primus, quem salutabat, Conuentus erat *Mollnensis* A. 1567. cuius iam (§. VI.) mentio facta est. Et hunc sequuntur, quos frequentauit alii quinque; *Bergedorfensis*, ab oppido prope Hamburgum, ubi A. 1574. habebatur, ita appellatus: vterque *Mollnensis* A. 1575. & A. 1576. *Ulzensis* A. 1577. Qui congressus praesertim institue-

stituebantur propter Formulam Concordiae, quae initio vocata est Sueuica, successiue Sueuico-Saxonica, Maulbrunnensis, Torgensis, tandemque Bergensis. Ultimus, ad quem proficiscebatur, iterum *Mollenae* A. 1582. pro scopo id habebat, vt scriptum pro Formula Concordiae, cui vehementer a nonnullis & malitiosius contradicatum erat, apologeticum, per MART. CHEMNITIVM, NIC. SELNECCERVUM, & TIMOTH. KIRCHNERVM, iuncto studio exaratum, a Presbyterio Tripolitano percenseretur, & dubia, si quae iis obuenirent, sincera mente proponerentur. Optime meritis de Ecclesia Lutherana moriebatur Noster A. 1595. Eius sub nomine scripta adsunt sequentia, idiomate latino: *Breuis & perspicua in Textus Euangeliorum & Epistolarum Dialectica & Rhetorica Introductio* Lub. 1590. in 8; dialecto Saxonica: α) *Dialogus van Unsterflichkeit der Seelen* Lub. in 8: β) *Gründliche Declaration up Osiandri Book van der Justification*, Lub. 4. γ) *wider die Juden*: δ) *Predigten van Lazaro*: ε) *Ein schön Geistlich Psalmbock der Euangelischen Historien, so up de Sondage unde Feste, yn der Kercken Christi geprediget werden*; qui liber in duas partes diuisus est, quarum altera, Lubec. A. 1575. cum praefatione DAV. CHYTRAEI, altera Lubecae A. 1578. cum praef. ANDR. POUCHENII, per *Affwerum Krögerum* impressa, prodiit. In laudes Auctoris excurrit in praefamine CHYTRAEVS, quum inter alia eum appellat: *den werdigen unde by der Kercken Christi wolvordenden Mann*. POUCHENIVS illum vocat: *seinen lieben Bruder und Collegam, einen Mann, dessen Fleiß in Ausarbeitung dieses Buches hoch zu loben ist*. Et quam di-



gnus eum vnicae verae Christianorum zelus religionis ceperit, copiose apparet ex dedicatione, in qua non satis posse extollere sibi videtur prouidentiam diuinam, pro ecclesia nunquam non vigilantem, adeo, vt viros semper excitaret, qui obuiam irent aduersariorum doctrinae Christi conatibus, eandemque animose ac impauida mente tuerentur. Vid. de eodem MOLLERVS *l. c. p. 57. sq.* Non possum non breuibus admonere, quod vtraque huius libri pars venerabilem BARTHII effigiem, ligno quam artificiose incisam, repraesentet. Subscriptiones auctor ipse procul dubio composuit. Altera haec est:

*Tu mihi praesidium, tua me protectio seruet,
Vt tibi seruatus, carmina grata canam.*

Altera constat disticho sequenti:

*Gaudebunt quicumque Deo constanter adhaerent,
Nec facies horum, quo pudefiat, erit.*

M. DIONYS. SCHVNEMANNVS ex Diacono Iacobao Pastor templi Cathedralis factus, primarius aedis Marianae Ecclesiae denominabatur. Variis, religionis gratia conuocatis, Theologorum intererat congressibus. Anno quidem 1557. *Coswicensi*, ab oppido huius nominis, non procul a Witteberga, vbi conuentum est, sic dicto, qua Synodo aliquot PHIL. MELANCHTHONI, vt Adiaphorismo suo nuntium daret, argumenta, quanquam frustra, proponebantur; A. 1561. *Luneburgensti*, cuius causas (§. VI.) paucis iam tetegi; A. 1570. *Servestano*, qui eo tendebat, vt operi, quod IAC. in primis ANDREAE moliebatur, Concordiae

cordiae de meliori confuleretur. Obiit fidelis Christi operarius A. 1579. De beneficentia, qua polluit, testatur pretiosus ille, quem propriis A. 1568. sumtibus exstruendum curauit, adhuc superstes, Templi Cathedralis suggestus, quem ornant Imagines, e lapide alabastrino sculptae, ita, vt praecipuarum Seruatoris nostri actionum momenta ostendant.

HENR. ALBERS, qui & ALBERTI vocatur, Pastor ad aedem b. Virginis, A. 1556. conuentum Theologorum Lubecensium & Hamburgensium salutasse dicitur. Qua in congregatione harum ecclesiarum inter se ministri decreverunt, vna sese mente opponere insultibus *Schwenckfeldii*; deinde id agere, vt Wittebergenses, qui tunc temporis PHIL. MELANCHTHONIS partibus studebant, cum MATTH. FLACIO, quando fieri vnquam posset, in gratiam redirent; tandem eo videre, vt periculis, quae religioni forsan minarentur, iusto tempore praeueniretur. Vitam Albers noster cum morte commutauit, A. 1563. De ceteris, qui inter subscribentes sequuntur, Theologis pauca modo, memoriae commendata, inuenire mihi licuit. REINERVS AVERENCK Ecclesiastes Petrinus, naturae debitum soluit A. 1564. IOH. FINE primum Parochus Cathedralis, tum Aegidianus, vita fungebatur A. 1567. HENR. ROLCK, s. ROLICHIVS, Plebanus quondam pontificius, accepta fide Euangelica, Diaconus Marianus eligebatur, obiit A. 1575. BARTHOLD. BADE verbi diuini Minister ad S. Iacobum, exspirabat A. 1560. IOH. COCHIVS, postquam



quam Ecclesiasticis Iacobaei munere functus esset, decedebat A. 1571. IOACH. HOLTMANNS, initio Diaconus ad aedem S. Petri, tum D. Mariae, Pastor tandem Cathedralis, vita priuabatur A. 1587. De hisce omnibus conferendus est STARCKIUS *l. c.* passim.

§. VIII.

DE CERTAMINE ADAMI PASTORIS CVM CETERIS ANABAPTISTIS.


Quum adhuc descripserimus eos, qui vario sensu Formulae auctores fuerunt, ordo nunc requirit, vt fines consideremus & causas, quibus impulsus, eandem singulari libello scribendam, curauere. Non difficile quidem intellectu videtur, Formulam esse conditam eum in finem, vt haberent, quo puriorem & saluificam Euangelii doctrinam, in sacro Codice fundatam, perque Lutherum nostrum, singulari summi Numinis prouidentia, quam felicissime restauratam, contra hostium impetus & fraudulentiam conseruarent, ita, vt dissensionibus, certaminibus in Ecclesia, & scandalis, quae ab infirmioribus eiusdem membrorum facile possent accipi, mature praeuenirent. Quod autem sensus oppositi mali vehementer soleat adaugere, quo ad obtinendum pulcherrimum finem trahimur, desiderium, pleraeque in Germania ecclesiae Euangelicae fatis, proh dolor! superque sensere. Nostra e contrario Ecclesia patria, quod grato cum primis in Deum animo fatendum, tempora eiusmodi turbulenta, vel nulla vel paucissima, est experta, adeo, vt ex alienorum periculis cautior, bene ac

sa-

sapienter de futuro prospexerit, aliarumque ecclesiarum aegritudini medelam quasi afferens, semet ipsam simul praemunit. Honorificas inde laudes reportauit. Prouoco ad verba DAV. CHYTRAEI, magni quondam Rostochiensis Theologi, & viri, a blanditiarum artificiis longe remoti, qui in literis, ad Pastores Lubecenses datis, ita scribit: *Celeberrima vestra Ecclesia, quae tanquam specula reliquarum in hac parte Saxoniae ecclesiarum a Deo constituta est, a multis iam annis, singulari Dei beneficio, pio & laudabili zelo, doctrinae coelestis puritatem, ac praeclarum illud a Viro Dei Luthero relictum nobis depositum, a quibusuis perniciosis corruptelis vindicandi & conseruandi, reliquis ecclesiis praeluxit, ac plurimas ad consimile pietatis studium excitauit;* quam epistolam exhibet IOH. GE. BERTRAM in *Euangelischen Lüneburg, in Beylagen zum II. Theil. p. 226. sqq.* Attamen non ab omni omnino aduersariorum, ad haec usque tempora, quibus Formula Consensus condebatur, insultu libera fuit haec optima Ecclesia, cuius quippe tranquillitatem ante Formulam Consensus quodammodo interruperunt aedeciae DAV. IORIS, MENNONIS SIMONIS, & LAVR. MOERSKENIUS. Quod attinet ad David-Ioristas & Mennonitas, isti quidem, non in ecclesia, sed ciuitate, Lubecensi, sua circa annum 1546. habuere conuenticula, suosque coetus; quin imo certamina inter eos ibi orta sunt intestina, siquidem ADAM. PASTORIS, (qui ante RVDOLPHVS MARTINI vocabatur) Anabaptista vagabundus Lubecae, incertum quo anno, cum Mennone Simonis disputationem de

D

Dei-



Deitate Christi, quam eandem cum Mich. Serueto negasse dicitur, instituit. Qua de re testimonium perhibet libellus, quem nominatus modo ADAMVS PASTORIS publici iuris fecit, cum hac inscriptione: *Disputation van der Gotheit des Vaders, des Sons, und des hilligen Geistes, so A. P. mit synen vorwandten in vöryaren tho Lubeck Muntlich und Schriftlick gebandelt heft; mit M. S. und synen vorwandten.* Est autem libellus hic subiunctus libro eiusdem auctoris, qui titulum gerit *Underscheit tusschen rechte leer unde valsche leer der twistigen articulen, &* teste Sandio, in 3. sine indicio loci & temporis impressionis, lingua Saxonica, in lucem prodiit. Conferri merentur STARCKIVS l. c. p. 52. & qui pluribus de illo & Mennone, ipsorumque doctrina, egerunt CHRISTO. CHR. SANDIVS in *Nucleo Historiae ecclesiasticae. Coloniae 1676. in 4. edito, p. 425.* Idem in *Bibliotheca Anti-trinitariorum. Freystadii A. 1684. impressa, p. 38. sqq.* HERM. HAMELMANNVS in *Operib. cit. p. 1177. sq.* MOLLERVS in *Isagoge ad Chersf. Cimbr. P. II. p. 105. sq.* & idem in *Cimbria literata P. II. p. 612. sq.* De tumultibus vero Moerskenianis, qui ipsam perturbarunt Ecclesiam Lubecensem, quique causa impulsiva quasi proxima totius Formulae Consensus probabiliter habendi sint, in subsequentibus operae pretium erit agere copiosius. Possent insuper Anabaptistici commemorari motus *Ge. Wollenweberi*, qui totam vehementissime patriam circa annum 1534. afflixere; sed quum magis fuerint motus ciuiles, quam ecclesiastici, huius non equidem loci arbitror, ex professo istos pertractare; id quod fecerunt CHYTRAEVS in *Saxonia*, STARCKIVS l. c. passim, aliique.

§. IX.

§. IX.

ENARRANTVR QVAEDAM, MOERSKENH VITAM
SPECTANTIA.

Antequam vero de erroribus Moerskenii prolixius tradere incipiamus, biographica nonnulla pro viribus, quantum scilicet data opera de illo inuenire licuerit, praemitemus. LAURENT. MOERSKENIVS, ex monacho Evangelicus, Lubecae quum per aliquod tempus commoratus fuisset, & multa in primis ciui suo, supra laudato, FRIMERSHEMIO, in acceptum bona tulisset, a Magnifico Senatu anno vel 1549. vel 1550. ad aedem Mariae Magdalenae, & templum Spiritus S. & ad Nosodochium, quod vulgo *Pockenhaus* dicitur, Ecclesiastes denominabatur; quod occasionem praebuit ALBERO, in mox citando libro *aduersus Caroloftadianos* contumeliose ipsum plus vice simplici appellandi *den Pockenprediger*. Vir erat mediocris doctrinae, & parum in linguis versatus, ita, vt, quoad sermonem latinum, *Exulorum* v. c. dicere pro *Exulum*, non erubesceret; qua de causa iterum ALBERVS aliique ipsum, inexpectata prorsus & monstrosa denominatione *Exulorum* vocant. Hisce tamen non obstantibus singulari apud plebem fuit auctoritate, quam Conciones maximam ipsi partem parauerant; ex quo elucet, eum, in Cathedra ecclesiastica constitutum, verbis saltem & *παρρησια*, nescio vero, numne loquendi magis impudentia? valuisse. Fastus, quo homo illiteratus abripiabatur, tam altas egerat radices, vt palam quasi in certamen prouocare omnes, ab ipso dissentientes,

Theologos Wittebergenses, Rostochienses, aliosque nullus ad-
dubitaret; ex quo facile colligitur, etiam huius viri exemplo
confirmatum esse tritum illud: quo quis indoctior, eo in-
solentior, prouerbium. Ast magis in dies non a do-
ctrinae solum forma, sed etiam publica auctoritate
in ecclesia stabilitis agendis, recedenti obuiam primum
ibat Frimershemius, ea mente, vt de erroribus in-
tra priuatos ipsum parietes conuinceret. Spes vero quum
hic fefellerit, iunctis collegam obstinatum viribus adhor-
tabatur Ministerium Lubecense, quique autem fuerat ante,
Moerskenius idem perseuerauit; quo factum est, vt ipse
tandem Senatus rem capefferet, & binis eiusdem ergo
frustra institutis conuentibus, ab officio pertinaciter erran-
tem A. 1551. amoueret. Quum in ipsius postea recensenden-
dis erroribus usuri praesertim simus ERASMO ALBERO,
ex quo allata magnam partem biographica hausimus, bre-
uiter primum de illo hic dicendum esse opinamur. Wit-
tebergae fuit discipulus B. LVTHERI. Variis functus est
muneribus sacris, & septies ob animi constantiam in exi-
lium migravit. Magdeburgo, vbi Pastor constitutus veram
contra librum *Interim* circa annum 1551. doctrinam de-
fendit Euangelicam, pulsus, oras petiit inferioris Saxoniae
maritimas, quibus itineribus Hamburgum venit. Quod
etiam fuerit Lubecae, sermonemque ibi contulerit cum ipso
Moerskenio, testatur ipse in libro, *Caroloostadianis* praeser-
tim opposito fol. 39. alibique. Clarus & insignis vir est ob
illud, quod inscribitur: *Der Barfüßer Mönche Eulenspiegel
und Alcoran*, e F. Bartholomaei Pisani (qui & ALBIZIVS
voca-

vocabatur) *Libro Conformitatum S. Francisci ad vitam Jesu Christi* congestum, & in varias linguas, Gallicam, Latinam, Belgicamque cum additamentis translatum. Omnino conferendus hic est MOLLERVS in *Cimbr. literat. T. II. p. 29. sq.* Paululum quidem vehementius, fateor, Alberus in Moerskenium inuehitur, adeo, vt nullis aliquando conuiciis parcat, in libro, cui titulus est: *Widder die verfluchte Lere der Carlstader, und alle furnemste Heubter der Sacramentirer, Rottengeyster, Widderteuffer, Sacramentlesterer, Eheschender, Muscaverceher, Bildsturmer, Feiertagfeinde, und verwüster aller guten Ordnung. Neobrandenb. A. 1556. in 4. impresso.* Fide tamen historica dignus est propter sinceritatem, qua ne sua quidem ipsius vitia tacuit. Vnicum testor locum, quo in libro, modo allegato, *pl. Y f. 2.* dicit, se ad tempus quoddam Caroloftadii ferme partes fuisse amplexatum. Quo itaque minus eundem sequar historicum in enarrandis erroribus Moerskenianis, nullam, quae impediatur, rationem inuenio.

§. X.

DE MAIORISMO MOERSKENII.

Primum inter eos, quibus addictus erat Moerskenius, errores locum occupat Maioristica de Iustificatione bonorum Operum doctrina. Tribus praesertim GEORG. MAIORthesibus defendendis operam nauabat erroneis. Bona scilicet Opera esse necessaria ad salutem: Neminem vnquam saluatum esse sine bonis Operibus: Impossibile esse, quem-

D 3

quam

quam sine bonis Operibus saluari. Primam quidem & tertiam, diuersis modo aliquantulum verbis, cum illo tuebatur Moerskenius, alteram quodammodo limitans exemplo latronis in cruce, qui sine omni bono Opere, ex mera Dei gratia per solam fidem in Christum, aeternam beatitudinem adeptus esset. Iamiam enarrati sunt hi errores in ALBERO & STARCKIO, ll. cc. ac praesertim in *Responsione Ministrorum ecclesiae Lubec. ad literas M. Matthiae Illyrici & Nic. Galli*, quae in *Sententia Ministrorum Christi in Ecclesia Lubec. Hamb. Luneb. & Magdeb. de corruptelis doctrinae iustificationis &c.* (conf. §. V.) legitur. Qua ex responsione verba sequentia repetam: *Tale vetus Papisticum quoque dogma* (de Ge. Maioris doctrina in antecedentibus locuti erant) *nostrer ille Adiaphorista, Turbator, Laurentius Moertzken, quasi ex Praeceptoris sui Maioris vberibus suxisset* (quod etiam palam gloriari non dubitauit) *vt nocentissimum venenum & zizania in Ecclesiam nostram disseminauit, cum summo miserarum conscientiarum periculo, quae concepto veneno difficillime liberantur.* Pari modo insurrexere contra eum MATTH. FLACIUS & NIC. GALLVS in *Epistola ad Ministerium Tripolit.* quae modo dictae *Sententiae* inserta est, his verbis: *Maioris error vel idem est, vel certe simillimus istius Exulorum Laurentii Moersken deliriis, qui istic in Ecclesia Lubecensi miseram Dei Ecclesiam, multasque conscientias horribiliter perturbauit.* Ex argumentis, quibus maxime refelluntur falsae Moerskenii de iustificatione bonorum Operum opiniones in *Sententia docentium in Ecclesia Lub. Hamb. Luneb. & Magdeb. de doctrina necessitatis B. O. ad salutem*, praecipua haec sunt: Quod iustifi-

iustificatio & salus aeterna easdem semper causas habeant,
 eademque media, ita sane, vt vtraque intuitu solius in
 Seruatorem fidei obtineatur; quod in iustificatione bona
 Opera non queant esse praesentia, quum in initio conuer-
 sionis, nempe in contritione, peccator Deum timere de-
 beat, adeoque amare non possit, nec, nisi post impetra-
 tam in Christum fiduciam, huiusque respectu obtentum
 iustificationis beneficium, cum temporis aliquo, licet exiguo,
 interuallo, Deo gratias mente agere possit, quae autem gra-
 tiarum actio initium est amoris erga Deum sub gratia coo-
 perante in renouatione, primum locum inter B. O. tenen-
 tis. Facile praeterea concedimus, iustificatis atque saluan-
 dis necessaria esse bona Opera necessitate praecepti, (quin-
 imo necessitate connexionis reciprocae cum fide) non au-
 tem necessitate medii causalis. Ad id vero, quod Moers-
 kenius, & ipsius refutatores historiam conuersi in cruce la-
 tronis ita interpretantur, quasi absque omni bono Opere
 ad salutem aeternam peruenerit, vel duobus annotare ver-
 bis liceat, recentiores Exegetas non male obseruasse, la-
 tronem hunc non fuisse sine omni bono Opere, siquidem
 correptione fraterna amorem suum erga socium criminis
 atque supplicii luculenter manifestarit.

§. XI.

DE ERRORIBVS MOERSKENII IN S. COENA.

Secundo loco recensibimus, quantum per paucitatem
 documentorum dici poterit, errores Moerskenii in articulo
 de S. Coena. Praesentiam Corporis & Sanguinis Domini
 nostri

nostri I. C. realem in S. C. eum denegasse, supra nominatus ERASM. ALBERVS *libr. cit. plagula O secundi Alphabeti fol. 4.* testatur, his ipsis Moerskenii verbis: *si Corpus Christi comedas, etiam barbam ipsius deuorare te oportet.* Quo cum errore Zwingliano cohaerebat alter, quo negauit, indignos accipere verum Corpus, verumque Sanguinem I. C; quod etiam, extra Alberum, perhibent *Grauamina Presbyterii Lubecensis*, Magnifico Senatui exhibita, & a STARCKIO *l. c. p. 110.* in epitomen redacta. Et hunc errorem excipit tertius, teste Albero, in eo consistens, quod somniauerit Moerskenius, non esse in Sacramento Eucharistiae remissionem peccatorum, eo quod fidei in Christum hac ratione vis quasi sua raperetur. Cui vero peroptime respondit ALBERVS, tantum abesse, vt fidei, dogmate opposito sua subtrahatur efficacia, vt potius per Sacramentum confortetur, augeatur, atque conseruetur. Tandem refert idem Alberus, semet ipsum ex ore Moerskenii, pro publica concione verba facientis, audiuisse, eum, qui cum improbo accedat Sacramentum S. C. reum simul fieri huiusmodi hominis impietatis. Quod quidem largiamur, quando de apertis, quique scandalum aliis praebent, peccatoribus intelligatur; sed assertum hoc Moerskenius dictum voluisse videtur vel de hypocritis, & talibus, quales ipse forsan habuerit sceleratos. Ex quo perspicere licet, eum iam eadem, quibus *Separatistae* addicti sunt, principia fouisse. Possemus etiam errorem ipsius de sera & ad finem usque vitae dilata poenitentia, quam posse veram esse & genuinam in dubium vocauerit, commemorare; quum vero in *Grauaminibus*

Mini-

Ministerii Lub. supra laudatis sententia haec Moerskenii sub phrasibus, quodammodo ambiguis, proponatur, vt magis de certitudine verae conuersionis, & indiciorum sufficientia, quam de possibilitate, dubitasse videatur, nihil de illa amplius adiiciam, in primis, quum pro consecrario quasi habenda sit, quae ex ipsius de latrone in cruce fluat opinione, quam errori Maioristico de Iustificatione B. O. immiscuit.

§. XII.

DE MOERSKENII RECESSIONE AB ORDINATIONE
ECCLESIASTICA.

Hucusque occupati quum fuerimus in iis pertractandis, quae errauit Moerskenius in doctrina, nunc ista subiungemus, quibus ab Ordinatione ecclesiastica recessit, adeo, vt occasionem inde arripuerit Reuerend. Ministerium Lubecense, aliquot aduersus eum Amplissimo Senatui *Grauamina* exhibendi, quae apud STARCKIUM *l. c. p. 110.* leguntur. Et inter haec ipsius recessiones in genere, primo *Grauaminum* loco, reprehenditur in eo, quod omnino improbauerit Cerimonias, in Ecclesia Lubecensi receptas; deinde quinto, quod in nulla parte ecclesiasticis ritibus, magno consensu acceptis & approbatis, sese conformem inueniri passus sit, quin imo verbis & factis alienum se ab iisdem praebuerit. Illius ad aberrationes in specie refertur, quod in administratione S. C. singularem plane & temerariam sibi licentiam sumferit; qua de re testantur in *Recessu*, quem STARCKIUS *libr. cit. p. 176.* exhibet, verba sequentia:

E

Alse



*Alse scholde he sick ock in der Dispensation des Sacraments und der Ceremonien den anderen nicht gelyckförmig gehalten hebben; porro, quod Institutionem Seruatoris ad arbitrium commutarit, & in Consecratione a ceteris Ecclesiasticis longe sese diuersum ostenderit. Specialissima tandem, cuius in Grauaminibus accusatur, in eo constitit recessio, quod non in sola recitatione verborum institutionis vsitatorum acquieuerit, sed & Formulam addiderit applicatiuam his verbis: der Leib Christi für dich gegeben, Stärke dich zum ewigen Leben &c. Quam quidem Formulam, in se praeclaram, & nulla omnino ratione improbandam, si introducere apud Superiores & Collegas modeste quaesiuisset, minime reprehensionem incurrisset, quum maximopere contra taxandus sit in eo, quod proprio ausu, & cum vehementia quidem, tollere annisus est vel in hoc capite usus ecclesiasticos, qui a IOH. BVGENHAGIO constituti, per longum tempus apud Lubecenses praeualuerant. Extat hoc de argumento lectu dignissima *Dissertatio Historico-Theolog. de Ritu veteri Formulae applicatiuae individualis in S. C.* per S. M. C. conscripta, & *Lubecae 1741.* literis consignata; (cuius operis Auctoris proprium nomen literae initiales B. H. S. in Epistola, quae a B. STARCKIO subiuncta est, explicare videntur,) qua ex dissertatione, & veterum Ordinationum ecclesiasticarum inspectione discimus, *Celeberrimum BVGENHAGIVM* in libro, quem inscripsit: *Der Keyserlichen Stadt Lubeck Christliche Ordenunge, tho denste dem hilgen Euan-gelio, Christliker leue, tucht, syede unde enicheyt, vor de yōget yn eyner guden Scholen tho lerende. Unde de Kercken de-mre und rechten armen Christlick tho vorsorgende. Lub. A. 1531.**

in 8. edito, non quidem formulam aliquam applicatiuam prohibuisse, sed tantummodo in Capite, cuius inscriptio; *Ordninge der Missen, plag. F. fol. 2. 3.* silentio praeteriisse; quod vel in aliis Ordinationibus ecclesiasticis factum esse, apparet ex laudata iam *Dissert. p. 5.* Hunc tamen in Eucharistia ritum ab eodem Bugenhagio fuisse interdictum in *der Christlyken Kercken Ordninge, De yn den Fürstendömen Schleswig, Holsten, &c. schal gehalten werden, Magdeb. A. 1542. in 4.* prodita, edocent verba, quae *plag. D. f. 3.* occurrunt: *Wenn men dat Sacramente utbdeelet, so schal men den Communicanten, so dat Brod un de Kelck entfangen, nichtet seggen, Wente tho vörn ys ydt ynt gemene gesecht; do de Word des Abendmals gelesen sint.* Atque sic etiam in vsu fuisse Lubecensi Ecclesiae ab A. 1530. usque ad A. 1647. inde constat, quod B. NIC. HUNNIUS Superintendens A. 1628; & B. BERNH. BLUMIUS Pastor Cathedralis A. 1630. Formulam inducere applicatiuam, frustra conati sunt; donec tandem B. MENO HANNEKENIUS Praeful per prudentiam suam id obtinuit, quod aliis adhuc fuerat denegatum, Formulae puta huius receptionem; quod me docuit citata *Diss. p. 26. sqq.* Et hunc ipsum solatii plenum ritum, Formulam in distribuenda S. C. applicatiuam, ita nimirum: *Nimm hin und isß, (vel: nehmet hin und esset) das ist der Leib Jesu Christi, welcher für dich (euch) gegeben ist, der stärke dich (euch) im Glauben zum ewigen Leben, &c.* in Ecclesia patria vel hodiernum obtinere, luculenter ostendit recentissima Ordinatio Ecclesiastica Lubecensis, A. 1754. *Lub. in 8.* cum inscriptione: *Lübbeckisches Kirchenhandbuch, iussu Magnifici Senatus a Summe Reuerendo Ministerio edita, pag. 361. sq.*

§. XIII.

DE CONVENTU PROPTER MOERSKENTVM INSTI-
TVTO.

Memorable quoque & hoc est, quod ad sedandas Moerskenii turbas ab Illustri Senatu Lubecam A. 1551. vocati sint quidam Theologi exteri, qui in compositione pacificatoria Moerskenium eo commouerent, ut, quoad doctrinam & cerimonias, idem sentiret cum ceteris ecclesiarum Lubecensium Ministris, & Ordinatione ecclesiastica. Potiora Conuentus momenta breuiter hac occasione percurrere, haud erit superfluum. Aderant nempe Magnificus AMBROS. MEYER, Consul; D. HENR. FALCKE; HERM. VON DORN; HENR. KOHLER, Senatores; ium IOH. AEPINVS *Hamburgensis*, D. HENR. SCHMEDENSTEDIUS *Ditbmarf.* D. IOH. AVRIABER *Luneb.* Theologi, quibus adiungebatur IOH. DRACONITES, Celeberrimus Theologus & Philologus, qui tunc temporis, & per plures annos, Lubecae commoratus est, ac in Auditorio Cathariano publicas in Prophetam *Haggaeum* scholas aperuit, multisque scriptis, Lubecae impressis, (hodie rarioribus) magnam nominis famam adeptus est. Atque hi Theologi singularem communi consilio libellum confecerunt, cuius titulus: *Bericht und Diindication nba gelegenheit dissen itzigen Strydts van der Iustification des menschen up dat kōrtbeste int gemeine gestellet.* Quo in scripto per ipsum Codicem sacrum primo afferitur, hominem coram Deo sine B. O. per solam fidem iustificari & saluum reddi; tum damnatur opposita Moerskenii

kenii

kenii doctrina; dein quatuor hae deciduntur quaestiones: Quenam opera peragenda? Quanam ratione bona Opera perfici possint? Quomodo ista Deo placeant? & cur B. O. sint necessaria? Denique hoc in Congressu proposita fuit Moerskenio Formula, publico e suggestu praelegenda, qua declararet, se cum ceteris Ministerii membris consentire ut in aliis, sic & duobus praesertim hisce dogmatibus, quod homo nimirum per solam in Christum fidem in iudicio diuino consistat, peccatorum remissionem & vitam aeternam impetret; quodque peccator in mortis articulo, & in qualicumque, qua conuertatur, hora benignissime a Deo accipiatur, ita, ut de spe salutis aeternae quam certior esse possit. Ultimum Conuentus negotium erat *Constitutio*, qua confirmabantur Cerimoniae, & Sacramenti Sacrae coenae hucusque usitata dispensatio; uti iam stabilitum esset in Recessu Anni 1550. At vero euentus docuit, Moerskenium, sui capitis virum, spem omnem delusisse, inque erroribus tenaciter perseuerasse. Quo factum est, ut primus ille fuerit, qui a reformatae per Lutherum ecclesiae temporibus Lubecae officio sacro decedere iussus est, corruptae doctrinae semina in multorum animis suorum auditorum relinquens. De quibus omnibus agit STARCKIUS *libr. cit. a pag. iii. usque ad pag. 114.*

§. XIV.

CORPVS DOCTRINAE IN FORMVLA CONSENSVS DESCRIPTVM.

His ergo turbis similibusque aliis, in posterum metuedis, ut Illustris Senatus & reuerendum Ministerium oc-

currerent, nihil consultius videbatur, quam vt Formula aliqua Consensus componeretur, per quem & praesentes, & futuros, Verbi diuini Ministros in Ecclesia Lubecensi mente manumque polliceri oporteat, sese hac in christiana & salutari Consensione postmodum fideliter esse perstituros. Iam illorum per hanc Formulam obstrictio sese extendit ad haec duo momenta: ad Corpus aliquod doctrinae, & ad reiectionem errorum, expresse hic denominatorum. Corpus doctrinae quod spectat, impressa tunc nondum hoc sub nomine fuit librorum symbolicorum collectio, praeter *Corpus Philippicum*. Neque etiam nos asserimus, Ecclesiam Lubecensem in Form. Conf. hanc denominationem adhibuisse, quae a variis postea ecclesiis Euangelicis ita fuit vsurpata, vt intellexerint sub eadem, non typis publicis conscriptam librorum symbolicorum collectionem, sed variorum tantummodo Scriptorum symbolicorum & normalium designationem; quales designationes commode vocauit Summe Reuerendus PRAESES *Corpora doctrinae in idea*, in supra (§. III.) laudata *Diss. de Corpore doctrinae in idea Hokenloico*. Eodem nos iure appellemus Corpus doctrinae in idea Lubecense, designationem librorum normalium, in Form. Conf. stabilitam, quae primo loco ponit Scripturam Sacram; deinde, *ne quis fanaticorum hominum more iuxta coecum naturae cuiusque iudicium quamlibet addat interpretationem*, summa doctrinae Propheticae & Apostolicae Capita, praescripta in tribus Symbolis oecumenicis, Aug. Confessione & Apologia, Smalcaldicisque Articulis; tandem Confessiones Lubecensis, aliarumque associatarum Eccle-

cle-

clesiarum, contra librum Interimisticum, & Adiaphoristicas fraudes, & Maioris Corruptelas de necessitate B. O. ad salutem, editas; quibus, pro obseruandis ritibus ecclesiasticis, normae loco adiungitur Ordinatio ecclesiastica, per IOH. BVGENHAGIVM in Ecclesiae Lubecensis usum confecta, iam (§. XII.) a nobis laudata.

§. XV.

DE THAMERO QVAEDAM DISSERVNTVR.

Errores, qui in hac Consensus Formula nominatim reijciuntur, & stilo ecclesiastico damnantur, sunt Papistarum, Osiandri, Suenckfeldii, Anabaptistarum, Sacramentariorum, Interimistarum, Maiorismi, Adiaphoristarum, Caluini, Mennonis, Zwinglii, Thammeri, & ipsorum satellitum. Ex his quum reliqui sint notiores, plerique etiam, data opera, in Formula Concordiae describantur atque damnentur, de solo Thamero, non tam celebri & omnibus noto, exponenda quaedam hic videntur. Enarrationes, quae de illo dantur, maximam partem vitiosae commouerunt laudatum supra SALIGIVM, in *der Historie der A. C. P. III.* peculiare Thamero Caput destinare, in quo pleniora, & ad partem certiora, proferuntur ex ipsius viri libro, *Wahrhafter Bericht* &c. inscripto; quod scriptum, sicuti pleraque huius generis, ante duo secula impressa, hodie rarioribus annumerandum est. Erat autem THEOD. THAMERVS, Rosenhemii in Alsatia natus, postquam Wittebergae LVTHERI & MELANCHTHONIS
prae-



praelectiones frequentauerat, & Francofurti ad Viadrum officio publico aliquamdiu functus erat, a PHILIPPO Magnanimo, Hassiae Landgraui, A. 1543. ad munera Professoris Theologiae, Pastorisque in templo S. Elifabetae, Marpurgum vocatus; (qua etiam de causa mentionem ipsius, breuem licet & non satis accuratam, iniecerunt IOH. TILEMANNVS dictus SCHENCK in *Vitis Professorum Theologiae in Acad. Marburgensi, Marb. A. 1727. in 4. p. 68. sqq.* & CHRISTO. FR. AYRMANNVS in *Libello posthumo de Peregrinis in Hassia Professoribus, Giessae A. 1751. in 4. per LVDOV. GODOFR. MOGEN, edito, p. 8.*) A. 1547. conabatur, solam & Lutheranam fidem (*den blossen und Lutherischen Glauben*) mendacii temere accusare, docendo, fidem, quantacunque sit, solam sine B. O. non posse coram Deo iustificare. Alia insuper Ecclesiae Euangelicae dogmata impugnabat, & dissensum ab A. C. profitebatur. Quo effectum est, vt, quum certamen cum isto iniissent Collegae, IOH. DRACONITES, & ADAMVS *Fuldensis*, quod Regimen Cassellanum componere frustra quaesiuisset, Thamerus A. 1549. dimissus sit. Tum per fuga ad Papistas factus, eodem hoc anno ab Electore Moguntino Concionator Ecclesiae Cathedrali S. Bartholomaei Francofurti ad Moenum praeficiebatur. Mindam A. 1557. accersitus, Pastoris Cathedralis officium accedebat; inde iterum Moguntiam, hinc Romam, denique rursus Moguntiam, vbi Canonicatum nactus sit, SALIGIO venisse dicitur. Friburgi tandem in Brisgouia Professor Theologiae declaratus, diem ibi A. 1569. supremum obiisse perhibetur. Veniam me facile
im-

impetraturum, sperans, paucula hic annotabo. Primum, quod in Formula Consensus ipso nomine Thamerus appelletur, istiusque doctrina reiiciatur, hoc in primis adscribendum esse IOH. DRACONITI, quippe qui eius Marpurgi Collega, cum ipso disputarat; inque Conuentu Lubecensi, post quem Moerskenius remotus erat, locum haud vulgarem obtinuerat. Deinde, nec id sine censura praetermittendum est, quod SALIGIVS l. c. p. 202. autumet, falsam Lutherō affingi sententiam: *der Glaube sey ohne alle gute Wercke, und könne, als weit die Gerechtigkeit belanget, gantz und gar kein gut Werck bey ihm leiden oder dulden*; contra quae SALIGIVS in Lutheri Praefatione ad *Epist. ad Rom.* inuenisse sibi visus est, neutiquam Lutherum statuisse, fidem sine Operibus, nec vel in ipsa iustificatione, coram Deo nihil valere, nihilque afferre ad peccatorum remissionem; ipsum potius praeclare locutum fuisse de fidei vita, eiusdemque efficacia, & solos tantum Flacianos contra Maioristas & Osiandristas miseram sibi fidem, quae iustificet, effinxisse. Quam aduersus SALIGII sententiam probe notari meretur, Lutherum cum alibi, tum in *Praefat. ad Epist. ad Rom.* expressis verbis docere: bona Opera esse fructus & effectus fidei iustificantis, & (cum aliquo temporis interuallo) sequi fidem & iustificationem; prouoco ad ipsam hanc Praefationem, in qua Epistolae ad Rom. quinti Capitis contenta recenset. Nihil aliud hic Lutherus noster statuit, quam quod in *Sententia Ministerii Tetrapol.* (vid. §. X.) his verbis exprimitur: *Fides perpetuo sola iusti-*

F

ficat.



ficat, vivificat & saluat, & tamen non manet sola, id est, ociosa sine charitate; (quod ab aliis non accurate quidem explicatur: sola fides iustificat, sed non solitaria) Male igitur SALIGIVS Flacianorum nomen iis imponit, qui solam fidem sine Operibus iustificare, & fidem in iustificatione adhuc sine Operibus esse, statuunt.

§. XVI.

DE TEMPORIBVS CONSCRIPTIONIS ET DVRATIONIS FORMVLAE CONSENSVS.

Vnicum adhuc superest, nimirum vt rationem habeamus temporum, & primum quidem Anni 1560. quo Formula Consensus conscripta & designata fuit. Hic ipse fere annus est, quo Corpus doctrinae Philippicum, primum Germanice cum Praef. PHIL. MELANCHTHONIS, A. 1559. d. 27. Sept. & Latine cum alia ipsius Praef. A. 1560. d. 16. Febr. scripta, cura Ern. Voegelini, docti Typographi, ad propagandum pariter ac obfirmandum Philippismum & Crypto-Caluinismum, Lipsiae prodiit. Nullum hinc nobis remanet dubium, quin vel ideo scribendam Consensus Formulam curauerit reuerendum Ministerium Lubecense, vt eo citius se liberarent a sollicitationibus, quae forsitan, ad recipiendum Corpus doctrinae Philippicum, iis obtigissent. Alterum temporis momentum spectat durationem huius Formulae, quod nempe, quanquam *Formula Concordiae* iam A. 1580. Superintendente ANDR. POUCHENIO (qui &

& antea Formulam Concordiae contra FRANC. HOTOMANNVM in *Responsione ad IOH. PALMERII Protestationes contra F. C. Lubecae A. 1579. latine & germ. prodita defendit*) introducta, & introductionis huius, Superintendente SAM. POMARIO, memoria in festo Iubilaeo concelebrata, sit; (Conf. POMARII *Hundert - Iähriges Ebrren-Gedächtniß des Christlichen Concordienbuchs Lub. 1680. in 4.*) Formula tamen Consensus, & subsignatio Ministrorum verbi diuini apud Lubecenses, adhuc post obitum POMARII manserit usque ad annum circiter 1685. quo a tempore nullas amplius sub eadem subscriptiones sacerdotum inuenimus. Durauit ergo per integrum, & quod excurrit, seculum Formula nostra Consensus, eo fine, vt sanctiori in amantissima Patria doctrinae Euangelicae eo melius prospiceretur. Nihil itaque magis sub finem apprecor & opto, quam vt Benignissimus rerum omnium Gubernator hanc optimam doctrinam ad finem usque mundi per Omnipotentiam suam conseruet ac tueatur, & saluberrimis tum Magnifici Senatus, tum Summe Reuerendi Ministerii Lubecensis, eo tendentibus pro clementia sua nunquam non benedicat conatibus.

F E N O I T O !



NO-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI AVCTORI
S. P. D.
PRAESES

Quod ex pluribus argumentis, quae Tibi, AMICE SVA-
VISSIME, Dissertationem aliquam Theologicam me ad-
iuuante elaboraturo, & me praefide publice defensuro propofue-
ram, praefens ad Historiam Ecclesiasticam Illustris Patriae Tuae,
& libros Eiusdem Symbolicos pertinens elegisti, in eo voluntati
B. Schabbelli. Promotoris studiorum sacrorum magnifici, cuius
stipendio litterario frueris, prorsus satisfacere mihi videris: ete-
nim *leges huius Stipendii requirere, vt, qui eius participes red-
duntur, publico scripto sacro, pro conseruanda inprimis & de-
fendenda religione Lutherana elaborato, ostendant, quod tanto
beneficio digni fuerint*, docet Maxime Reuerendus IO. HENR.
A SEELEN S.S. Theol. Licentiatus dignissimus, Gymnasii Pa-
triae Tuae Rector bene merentissimus, eoque ipso Praeceptor
Tuus merito suo Tibi honoratissimus, Vir de puriori Euangelii
doctrina & Polymathia Theologica, litterisque humanioribus per
scripta exactissima optime meritus, in *Deliciis Epistolicis* p. 243.
nota 99. atque *Iubilaeo Schabelliano Lubecensi* anno Saeculi huius
XXXVIII. Lubecae edito: Tua etiam haec dissertatio, non tan-
tum praecipuum Religionis nostrae Euangelicae, & Augustanae
Confessionis dogma, *solius fidei in Christum intuitu hominem iu-
stificari & aeternam salutem adipisci*, praeter alios grauissimos
fidei nostrae articulos, defendit, sed etiam ILLVSTRIS SENA-
TVS & VENERABILIS MINISTERII Patriae Tuae Prouiden-
tiam in conseruanda atque tuenda religione vera, per diuum Lu-
therum instaurata, dum exemplo illustri describit atque dignis
encomiis prosequitur, aliis ad imitandum proponit atque com-
mendat. Tam bene etiam, diligenter atque accurate hoc argu-
mentum in hac dissertatione elaborasti, vt nonnisi paucissima ha-
buerim in reuisione vel corrigenda vel adiicienda. Quibus de
caussis Tibi, AMICE DOMESTICE & AUDITOR AESTVMATIS-
SIME, de hoc studiorum Tuorum in hac Academia diligenter per
quadriennium tractatorum successu & specimine egregio ex animo
gratulor, Deumque precor, vt studiis Tuis porro benedicere, atque
largissimos ex iisdem fructus in ecclesias ILLVSTRIS PATRIAE
Tuae deriuare velit. Vale. scr. Kalendis Martij a. cldo IO CCLV,

Coll. diss. A. 33, misc. 42